

ergo, si fiat absentis, pariter poterit semper revocari, antequam fuerit accepta. Resp. cum Abbate in *c. Accedens. n. 3. de Præbend. Covarruvias, ubi supra c. 16. n. 1. Barbosa cit. c. Si tibi absentis. n. 8. de Præbend. in 6. & aliis*, Majorem procedere solum in donatione merè gratuita, & aliis actibus, qui ex mera voluntate sunt: & de his loquuntur allegata Jura. Secus verò dicendum de collatione Beneficii; utpote quæ fit ex necessitate Juris; eò quòd Prælatus necessariò tenetur Beneficium vacans, intra præfixum à Jure tempus, alicui idoneo Clerico conferre, neque istud sibi retinere valeat: ac proinde non nisi improprie censeatur donatio, nempe respectu illius, cui confertur Beneficium, cum ei præcisè Beneficium conferre non teneretur. Accedit alia ratio: quia Prælatus, conferens absenti Beneficium, consultit istud tanquam Officialis, seu ex suo Officio: unde, quando semel contulit absenti, fundus est Officio suo; sicque nequit variare, seu alteri conferre, nisi vel ille absens cognita collatione sibi factâ noluerit consentire: vel saltem tempus pro consentiendo præfixum, fuerit elapsum.

86 Resp. III. Per Institutionem realem, seu corporalem (vulgò, Investituram) confertur vera, & actualis possessio Beneficii. Ita communis; atque patet ex proximè dictis §. *præced. nu. 46. & seqq. junctis illis, quæ superius L. 2. Tit. 12. De Causa possessionis &c. §. 4. & 5. copiosius de acquisitione possessionis rerum, tum corporalium, tum incorporalium, dicta fuerunt.*

87 Quæritur V. Utrum is, ad quem spectat collatio Beneficii, possit se ipsum instituire? Resp. cum communi, id fieri non posse: *Cum inter dantem & recipientem debeat esse distinctio personalis*; ut loquitur Pontifex in *cap. ult. h. t. Sic à pari ille, qui habet jus patronatus, se ipsum ad Beneficium præsentare nequit; non obstante, quòd sit Clericus, & cæteroquin idoneus, text. clar. c. Per nostras. 26. de Jurepatronat. Ratio h'rum ulterior, ac generalis est: Quia talia sapiunt ambitionem, ingerendo se ipsum Ecclesiasticis Beneficiis, ac Dignitatibus: effectusque perniciosum exemplum, ut quis possit sibi ipse providere, de quibus tenetur aliis dispensare. Abbas cit. *cap. ult. n. 5. h. t. Hinc can. In scripturis. 8. q. 1. dicitur: Sicut locus regimini desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus. Vivianus de Jure Patron. p. 2. lib. 6. cap. 9. d. n. 1. Barbosa de Offic. & potest. Episcopi. p. 3. allegat. 72. n. 83. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 3. c. 6. §. 6.**

88 Resp. II. Quin imò is, ad quem spectat collatio Beneficii, nec ab alio à se delegato potest institui. Ita textus expressus in *cap. ult. h. t. ibi: Sed nec ab alio Beneficium recipere potuit, cum jus conferendi alius non haberet. Quod intellige de omni eo, qui Beneficium proprio nomine conferre non potest. Barbosa in *Collectan. ad cit. cap. ult. nu. 3. h. t.* citans alios; & sequitur Pirhing *cod. tit. n. 17. Unde si Prælatus potestatem conferendi alteri deleget, non potest Delegatus ipsum Delegantem instituire: quia Delegatus non confert jure proprio, sed jure & autoritate Delegantis, cujus personam representat, ac vices gerit; & idè in effectu Delegans sibi ipse conferret Beneficium: nam, ut habet Reg. 72. Juris in 6. *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.***

89 Aliud foret, si Prælatus ille, cui competit jus instituedi, vel à Summo Pontifice, vel ab ejus Legato à Latere institueretur in tali Beneficio: nam cum isti de Jure communi concurrant in collationibus Beneficiorum cum quocunque Collatore, eademque jure proprio conferant, reatè ab ipsis institueretur in Beneficio ille, cui cæteroquin competit jus conferendi. Abbas *c. Cum ad nostram. n. 6. h. t. Et*

hoc idem foret, si ejusmodi Prælatus inferior, cui competit jus conferendi, antea jus istud absolutè, ac legitime à se transferret, eoque se penitus abdicaret: quia tunc posset institui ab illo altero, in quem jus illud fuit transfatum; cum hic postmodum proprio nomine conferret. Barbosa *cit. cap. ult. n. 3. h. t.* allegans alios, & communem.

Objicies autem contra dicta n. 87. & 88. afferens, quòd instantiam multum notabilem. Potest Prælatus, ac præsertim Papa, utpote non habens Superiorem in terris, secum ipso dispensare, aut saltem facultatem secum dispensandi, vel se absolviendi ab excommunicatione &c. alteri committere: ergo etiam potest quis se ipsum in Beneficio instituire, vel saltem hanc facultatem demandare. Resp. In solutione notabilis hujus Objectionis variant Doctores, atque in diversas abeunt sententias. Et quidem

Prima responsio est Abbatis in *cap. ult. n. 5. & 6. 91 h. t. Pirhing eod. n. 18. & aliorum, præsertim Canonistarum, qui negant Assumptionem. Neque enim (inquit) potest aliquis per se, & directè secum ipso dispensare: *Cum inter dantem, & recipientem, debeat esse distinctio personalis*, juxta textum jam allegatum ex *cap. ult. h. t. Quæ ratio est generalis (saltem, ubi Jus propter speciales rationes aliud non disposuit; quòd additur propter casus n. 92. afferendos.) Alioquin enim ratio per Papam allegata nihil probaret: quin imò Pontifex adduxisset pro ratione suæ Constitutionis id ipsum, de quo controvertetur; quòd dicendum non est. Confirmatur id ipsum: quia dispensatio, est actus jurisdictionis: atqui nemo potest per se, & directè, jurisdictionem erga se ipsum exercere, *L. penult. ff. de Receptis arbitris*, cum similibus.**

Nec urget, quòd Prælatus possint suis Confessariis committere, ut se absolvant, aut secum dispensent in omnibus illis casibus, in quibus ipsi cum subditis dispensare, vel eos absolvere possunt, *cap. ult. de Penitent. & remission. & tenet communis Doctorum: & hoc ex eo, ne aliquo Prælatus sint deterioris conditionis, quam subditi. Respondent enim Canonistæ, quòd in tali casu Confessarius à Prælatis electus procedat non ut merus Commisarius, & Delegatus ipsius (prout tamen feret, si Collator Beneficii ab alio à se delegato institueretur) sed absolvat tunc Prælatum ut Delegatus Papæ, juxta textum *cit. cap. ult. de Penitent. & remission. ibi: Permittimus Episcopis, & aliis Prælatibus, ut etiam præter sui Superioris licentiam sibi possint eligere Confessorem. Aut, si de Papa urgeatur difficultas, ajunt, quòd Confessarius ipsum absolvat, vel cum eo dispenset ut Delegatus Christi, ejusque autoritate fungens: suppositi tamen, quòd Papa se illi voluntariè subiciat. Et hanc sententiam sequitur Abbas *cit. cap. ult. n. 6. h. t. & Pirhing h. t. n. 18.* alique plures, præsertim Canonistæ.**

Oppositam sententiam, videlicet, non solum Romano Pontificem posse erga se ipsum dispensare in omnibus iis, in quibus potest cum suis subditis; sed etiam Episcopos, aliosque Prælatos, tanquam probabiliores amplectitur Sanchez *lib. 8. de Matrimon. disp. 3. n. 6. & seqq.* citans D. Thomam *4. disp. 20. q. 1. Sotum 4. disp. 21. q. 1. arr. 4.* pluresque alios; & sequuntur passim Theologi. Ratio hujus sententiæ fundamentalis est: quia jurisdicção ista secum dispensandi non est contentiosa, de qua loquitur textus in *L. un. C. Ne quis in sua causa &c.* ubi dicitur: *Nemo est Jux in causa propria.* Sed est jurisdicção voluntaria, in qua potest quis plurimum vires sustinere, dummodò exercitum unius actus non obtinet exercitio alterius: ut *L. un. ff. de Offic. Consul. ubi Consul apud semetipsum potest manumittere servum suum. Et l. Si Consul. ff. de Adoptionib. ubi*

si filius sit Præles, potest se ipsum emancipare, aut in adoptionem dare. Omituntur alia similes probationes, atque instantiæ, apud Sanchez *loc. cit.* videntur. Unde

Secunda responsio ad objectionem n. 90. proponitam, est plurimum Theologorum, qui concessio Antecedente, negant Consequentiam: nam de hoc (inquit) seu quòd nemo possit se ipsum instituire in Beneficio, habetur specialis dispositio in *cap. ult. h. t.* eò quòd sibi ipse conferre Beneficium, sapiat ambitionem. Dum autem contra hanc Theologorum sententiam urgetur ratio, & textus sæpè dicti *cap. ult. h. t. ibi: Cum inter dantem, & accipientem, debeat esse distinctio personalis.* Respondendum ait Sanchez *cit. lib. 8. de Matrimon. disp. 3. n. 9.* hanc rationem non esse generalem; ut constat ex textibus *num. præced.* in contrarium adductis: sed esse specialem in illo casu, ut videtur iniquum ambitum exemplum in Prælatu. Quòd amplius probatur tum ex *can. In scripturis. 8. q. 1. ibi: Locus regimini desiderantibus negandus est. Tum ex c. Per nostras. 26. de Jurepatronat.* ubi decernitur, nullum p. se se ipsum ad Dignitates præsentare; quia (inquit Pontifex) nullus se ingerere debet Ecclesiasticæ Prælati Officio.

Neque insuper obstat præfate sententia, quòd nemo se ipsum baptizare, vel sacramentaliter absolvere possit &c. cum tamen hi actus sint jurisdictionis voluntariæ. Respondent enim Theologi, hoc esse speciale in Sacramentis, & aliis hujusmodi, in quibus Jure Divino requiritur distinctio personalis inter dantem, & accipientem: quantum in Sacramento Poenitentia idem ponitens simul fit & reus, & accusator, & testis. Quòd si simile aliud reperitur in humanis, id pariter (inquit Sanchez) erit speciale in eo casu, ob specialem Juris dispositionem: quæ tamen non habetur in dispensatione erga se ipsum exercenda. Quòd autem in contractibus civilibus, v. g. inter ementem & vendentem, necessariò requiritur distinctio personalis, id provenit ex ipsa natura talium contractuum, utpote qui aliquo forent nugatorii, & inutiles: hæc autem ratio rursus cessat in dispensatione erga se ipsum exercenda, quæ proinde fieri posse videtur. Ita Sanchez, pluribus istam sententiam declarat.

In praxi videtur dicendum primò, quòd Papa possit secum ipso dispensare in omni Jure positivo humano: nam Papa secundum plenitudinem potestatis de Jure potest supra Jus dispensare, *c. Propositum. 4. de Concessio. Præbend.* Et quia ipse non habet Superiorem in terris, non ligatur Jure P. nificio, quòd exigit distinctionem personalem inter dantem, & accipientem. Felinus *cap. 1. num. 33. de Constitut. Sanchez cit. lib. 8. disp. 3. num. 5.* citans alios, qui veluti quid speciale afferunt, posse Papam, se à proprio juramento absolvere, eò quòd careat Superiore. Quamquam alii apud Felinum *cit. num. 33.* istud negent, graviter invehentes in Gregorium XII. qui se ipsum absolverat à juramento, quòd præstiterat de renunciando Papatu.

Dicendum secundò, quòd Episcopi, alique Prælati, indubitanter possint uti dispensatione generali, quam concedunt Civitati, vel toti Conventui. Tum quia hoc non est dispensare directè secum ipso, seu exercere jurisdictionem in se ipsum: sed solum uti in dispensatione ex legitima causa toti Communitati facta, cujus ipsi sunt pars, & caput. Tum quia Episcopi, alique Prælati, non debent esse deterioris conditionis, quam eorum subditi, cum quibus ipsi dispensant, Sanchez *cit. disp. 3. n. 2. & 8. & 9.* allegans communem.

Dicendum tertio, quòd quidem sententia Theologorum, asserentium, quòd Superior possit secum ipso directè dispensare, sit probabilis, & in Reiffenschuel Jus Can. Tom. III.

praxi tuta: nihil minus sententia negativa Canonistarum sit probabilior. Juri conformior, & in praxi tutior, sique merito retinenda.

TITULUS VIII.

De concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

I. Ratio continuationis Rubricarum.

Uiam est in Titulo præcedenti de Institutionibus: sed quia nonnunquam aliqui instituntur præpropere in Præbendis, seu Ecclesiis nonnumquam vacantibus, vel saltem de illis improprie concedendis sit promissio, antequam vacent: quandoque verò Beneficia, dum vacant, debito tempore non conferuntur: ad utrumque horum incommodorum excludendum merito præsentis Rubricæ subjungitur. Unde materiam ad eandem pertinentes, majoris claritatis gratià dividendo in Paragraphos, fit

§. I.

De triplici vacatione Beneficiorum, & ob quam ipsam Beneficia conferri possint, ac debeant?

S U M M A R I U M.

- 2 Beneficia generatim possunt intelligi tripliciter vacare; nempe
- 3 Et jure & de facto simul.
- 4 De facto tantum, &
- 5 De jure tantum.
- 6 Beneficiorum vacatio in specie potest accideri pluribus modis. Remissive
- 7 Qualiter oporteat vacare Beneficia, ut aliis conferri possint, ac debeant? Et num. seqq. Beneficia inferiora de jure & facto simul vacantia, debent conferri intra semestre à die notæ vacationis. Ibid.
- 8 Qui nescit, potestatem experiendi non habet. Ibid. Episcopus, & Ecclesiæ Regulares &c. vacare non debent ultra trimestre.
- 9 Aliis devolvitur potestas eligendi, vel conferendi ad Superiorem. Ibid. Remissive.
- 10 Beneficium etiam de jure tantum vacans, potest, & debet conferri intra semestre
- 11 Nequit tamen alter in ejus possessionem induci non vocato priore possessore. Ibid.
- 12 Beneficia de facto solam vacantia non possunt aliis conferri.
- 13 Beneficium de jure dumtaxat vacans imperatoribus à Papa, tenetur facere mentionem de possessione alterius colorata: atq; Rescriptum de jure imperatorum non valet.
- 14 Secus, si possessio alterius sit notoriè injusta. Possessio colorata, quæ? Ibid.
- 15 Eadem Conclusio patitur alias limitationes. Et numer. seqq.
- 16 Nempe, quando Rescriptum Papæ continet clausulam, Motu proprio.
- 17 Motus proprius tollit subreptionem. Ibid.
- 18 Item, quando Rescriptum Papæ continet clausulam, Amoto quolibet illicito devotore.
- 19 Dummodò hæc clausula sit posita in Litteris gratis, & non tantum in executione gratis.
- 20 Aliæ limitationes. Remissive

Q Uæritur I. Quibus modis generatim intelligantur vacare Beneficia Ecclesiastica? Resp. I. Beneficia generatim loquendo possunt intelligi tripliciter vacare; nimirum, De facto tantum, De jure tantum, & De jure ac de facto simul. Ita Henricus in Summa h. t. num. 1. Rebuffus in Praxi Benefic. tit. Requisita ad collationem bonam &c. nu. 56. 57. & seqq. Garcia part. 11. de Benefic. cap. 1. nu. 2. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 15. §. 1. num. 3. & 4. & 5. alii passim; idque declaratur inductio. Si quidem

2 De Jure ac de facto simul vacat Beneficium, quando nullus adest, apud quem remanet jus, aut possessio ejus. Sic vacat Beneficium Ecclesiasticum per mortem naturalem Beneficiati, vel per legitimam privationem, seu depositionem, aut liberam resignationem ipsius. Et hæc vacatio, est proprie dicta & plena vacatio beneficii, ex qua potest, ac intra debitum tempus debet alteri Beneficium conferri.

3 De facto tantum vacat Beneficium, quando prout nullus adest illud actualiter possidens, adest tamen, qui jus seu titulum habet ad ejusmodi Beneficium. Sic accidit, quando Beneficiatus est vi dejectus, vel injusto metu adactus ad Beneficium relinquendum, quod necdum ab alio possidetur: tunc enim de facto, seu actualiter, Beneficium illud à nemine possidetur, licet injustè expulsi adhuc retineat jus in ipso. Aliud hujus exemplum ponit Abbas in c. Cum nostris. num. 18. h. t. de eo, cui absentis collatum est Beneficium, quod ab ipso nondum est acceptatum: quia, licet illi absentis jus ad rem respectu Beneficii acquisitum fuerit, sicque istud alteri conferri nequeat, c. Si tibi absentis. 17. de Præbend. in 6. adhuc tamen vacat de facto, seu quoad possessionem, utpote à nullo adhuc apprehensam.

4 Tandem De jure tantum vacat Beneficium, quando aliquis illud possidet, seu injustè. Idque variis modis potest contingere, ut puta, quia Collator non habuit jus conferendi; vel quia recipiens fuit inhabilis ad Beneficium recipiendum; aut quia propter pacificam assentionem alterius Beneficii incompatibilis vacat prius ipso jure, quod tamen adhuc detinetur ut cum posteriori; & multis aliis hujusmodi modis. Unde

Resp. II. Vacatio beneficiorum in specie potest accidere pluribus modis; ut puta, per mortem naturalem, per renunciationem, per pacificam adeptionem alterius Beneficii incompatibilis, per ingressum Religionis professione secuta, per non promotionem ad Sacerdotium intra annum loquendo de Ecclesia Parochiali, & aliis hujusmodi modis, quorum triginta enumerati fuerunt superius Tit. 5. de Præbendis. §. 12. à n. 343. usque ad num. 367. qui proinde ibidem videri poterunt.

5 Quæritur II. Qualiter oporteat vacare Beneficia, ut aliis conferri possint, ac debeant? Resp. I. Beneficia inferiora de jure & facto simul vacantia, possunt, ac debent aliis idoneis Clericis conferri, & quidem intra semestrem à die notæ vacationis computandam. Ita communis; & habetur expressum in c. Nulla. 2. §. Cum vero. h. t. ibi: Cum vero præbendas Ecclesiasticas, seu quolibet Officia, in aliqua Ecclesia vacare contigerit, non diu maneant in suspensio: sed infra sex menses personis, quæ dignè administrare valeant, conferantur. Concordat c. Quia diversitatem. 5. §. fin. h. t. ibi: Semestre autem tempus non à tempore vacationis Præbendarum, sed notitiæ ipsius notitius volumus computari. Id ipsum habetur c. Licet 3. de Supplend. negligent. Prælat. Nec immeritò semestre illud computandum dicitur à tempore notitiæ: is enim, qui nescit, potestatem experiundi (vel con-

ferendi Beneficium) non habet, l. Annus. ff. de Calumnias. & can. Biduum. 2. q. 6.

Additur notanter in Conclusione, Beneficia inferiora &c. Nam illud semestrale tempus, quod conceditur ad conferendum Beneficium vacans, procedit solummodo quoad minores Dignitates, Personatus, & Beneficia inferiora: non vero quoad Episcopatus, & Archiepiscopatus, juxta textum expressum in c. Dilectus filius. 12. junctâ Glossâ §. Extendi. h. t. Idque ampliatur ad Ecclesias Regulares, per obitum suorum Prælatorum viduatas, c. Ne pro defectu. 41. de Election. estque jam dictum supra Lib. 1. Tit. 6. De Electione §. 11. n. 278. & seqq. extendendo istud ad Prælatos Collegiarum Ecclesiarum, qui ordinariam & generalem jurisdictionem in Clericos suæ Ecclesiæ exercent. Qualiter autem in casu negligentiae eligendi, vel conferendi Beneficium intra debitum tempus, devolvatur potestas eligendi, vel conferendi ad Superiorem, dictum est supra cit. Lib. 1. Tit. 10. de Supplenda negligentia Prælatorum. §. 2. n. 22. & seqq. & Lib. 3. Tit. 5. De Præbendis. §. 7. nu. 182. 184. & seqq.

Resp. II. Etiam Beneficium de jure duntaxat vacans potest, & habita notitiâ vacationis debet conferri intra tempus à Jure præfixum, puta semestrem, non obstante alterius detentio: ita tamen, ut ille, cui collatum fuit Beneficium, in actualem hujus possessionem non debeat introduci priore possessore non vocato. Ita Garcia part. 10. de Benefic. cap. 1. n. 40. 41. & 46. citans Rotam Decis. 9. in antiq. & alios, cum communi. Et quidem prima pars patet ex c. De multa. 28. §. Is quoque. de Præbend. ubi in casu recepti per Clericum secundi Beneficii incompatibilis, non solum Clericus ejusmodi ipso jure privatus existit priori Beneficio, sed etiam Collator ordinarius illud prius liberè conferre potest, ac debet: adeo, ut si intra sex menses non consulerit, puniatur, ut ibi. Altera pars constat ex c. Licet Episcopus. 28. eod. in 6. junctis dictis supra Tit. 5. de Præbendis. §. 11. num. 332. usque ad n. 337. ubi præfens Conclusio quoad utramque partem amplius declarat.

Resp. III. Beneficia de facto duntaxat vacantia non possunt conferri. Ita Abbas cit. c. Ad nostram. n. 18. h. t. id probans ex c. Si tibi absentis. 17. de Præbend. in 6. Zocellus h. t. num. 2. Engel eod. numer. 2. Pirhing h. t. num. 19. & communis. Ratio est: quia hujusmodi Beneficia, utpote de jure ad aliquem pertinentia, reverà non vacant: nam Beneficium dicitur illius, qui jus habet in eo. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 15. §. 1. num. 18. Simulque per solam collationem acquiritur jus plenum, & perfectum in Beneficio, quamvis possessio ejus nondum fuerit capta, cap. ult. in fin. h. t. in 6. estque jam dictum supra Tit. præced. num. 77. & 78. Unde & injustè expulsi à suis Beneficiis, horumque possessione violentè privati, habent regressum ad illa, cap. 2. & seqq. De iis quæ vi metusve causâ &c. Quin imò, qui scienter recipiunt beneficium alteri injustè ablatum, censentur Intrusi, juxta dicta superius Tit. 5. de Præbendis. §. 17. num. 520. Suntque Ecclesiasticæ communiõne pellendi, atque deponendi. can. In primis. 24. l. 1. & cap. 1. junctâ Glossâ §. Pellendi. & Doctoribus ibid. h. t.

Quæritur III. An Beneficium de jure duntaxat vacans impetraturus à Papa, teneatur facere mentionem de possessione alterius? Resp. I. Si quis Beneficium de jure vacans, sed ab alio coloratâ possessione adhuc detentum, per Rescriptum à Papa impetrare velit, tenetur is in sua Supplicatione de prædictâ possessione alterius facere mentionem: alioquin Rescriptum desuper impetratum censetur subreptivum. Ita desumitur ex c. Cum nostris. 6. h. t. ubi

ubi Glossâ §. Falsi suggestionem. & Abbas num. 1. & 16. & Barboza in Collectan. ibid. num. 2. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 15. §. 1. nu. 64. & 65. Garcia part. 10. de Benefic. cap. 1. num. 48. Pirhing h. t. num. 19. Engel eod. num. 3. Sanning ibid. cap. 3. num. 5. & alii. Accedit ratio: quia beneficium vacans de jure tantum, non potest simpliciter & absolute dici vacare, eo quod adhuc possideatur ab alio: unde supplicans pro obtinendo tali Beneficio, veluti vacante, nullaque factâ mentione possessionis alterius, committit sub-vel obreptionem per falsi suggestionem, & veri suppressionem; prout notatur in cit. c. Cum nostris. §. Auditor. h. t. Et enim, si mentio fieret de colorata alterius possessione, forsitan Pontifex retraheretur, vel saltem tardior atque difficilior redderetur ad conferendum Beneficium, donec illius coloratæ possessionis causa plenius examinaretur.

12 Additur notanter in data Conclusione, coloratâ possessione, &c. Per quam intelligitur talis possessio, quæ est prætena ex legitimo, seu à Jure non castato titulo, qui tamen hic & nunc re ipsâ non est verus: ut puta, quia possessionem Beneficii quis recipit à Collatore ordinario, nec est notorie invalida, quamvis ad occultum defectum non subsistat: prout est casus in sæpè dicto c. Cum nostris. & notat Abbas ibid. n. 17. & 23. h. t. Nam ubi possessio alterius est notorie injusta, & invalida, valet Rescriptum etiam non factâ mentione ipsius, ut inquit Abbas lo. cit. num. 16. Rationem dat: quia illud tacitum invalidat Rescriptum, quo expresso Papa non dedisset litteras, vel non ita de facili, c. Super litteris. 20. & c. Postulasti. 27. de Rescriptis. Sed expresso, quod quidem alius sit in possessione Beneficii, possessio tamen ipsius sit evidenter injusta & invalida, Papa non fuisse motus ad denegandas litteras, vel ad eas difficiliter dandas: quin imò hoc expresso, atque probato, eas facilius dedisset; ne notorie intrusus diutius occuparet Beneficium Ecclesiasticum; ergo. Concordat textus in c. Litteras. 9. h. t. ubi Rescriptum à D. Clerico super Præbenda Brementis impetratum censetur validum (nam in fine Papa mandavit eidem D. Clerico Præbendam conferri) haud obstante, quod Præbenda illa de jure tantum, non autem de facto vacasset; neque istud fuisse expressum in supplicatione Summo Pontifici perrecta, sed simpliciter dictum, quod vacaret. Quia, ut ibid. num. 4. notat Abbas, possessio illa non erat colorata, sed evidenter injusta: siquidem color eisdem erat castatus à Jure, c. De multa. 28. de Præbend.

13 Resp. II. Patitur nihilominus data nu. 11. Conclusio quasdam limitationes, danturque nonnulli casus, in quibus taciturnitas præhabita ab alio possessionis facti non vitiat Rescriptum ad beneficia impetratum. Ita communis; idque probatur inductio. Sic imprimis præter possessionem facti notorie invalidam, seu non coloratam, juxta proximè dicta

14 Limitatur dicta Conclusio, quando Rescriptum Papæ continet clausulam, Motu proprio. Nam Motu proprio tollit subreptionem, c. Si motu. 23. de Præbend. in 6. sicque tenet ejusmodi Rescriptum, atque collatio Beneficii per illud obtenta, non obstante taciturnitate possessionis facti, etiam coloratæ. Abbas c. Cum nostris. num. 19. & Barboza ibid. num. 2. h. t. Garcia part. 10. de Benefic. cap. 1. num. 49. Menochius Lib. 2. de Arbitrar. Judic. cas. 201. nu. 142. citans alios. Neque enim verisimile est, quod Papa Motu proprio conferens Beneficium, non fuisset illud collaturus, si præcivisset, possessionem alterius veram & legitimam non esse, licet extiterit colorata.

Limitatur secundo, quando Rescriptum Papæ continet clausulam, Amoto quolibet illicito detentore: nam, ubi apponitur hæc clausula, satis videtur mentio facta coloratæ duntaxat, atque re ipsâ injustæ possessionis alterius; hæcque censetur exclusiva. Abbas lo. cit. num. 21. Menochius d. cas. 201. num. 141. citans Rotam Decis. 38. & Decis. 69. de Rescriptis. in antiq. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 15. §. 1. n. 68. Barboza tract. de Clausulis usufruent. claus. 7. n. 2. citans alios.

Notant tamen allegati Doctores; quod Præfata clausula tollat quidem vitium taciturnitatis coloratæ possessionis alienæ; quando est posita in litteris gratiosis, seu in dispositione gratiæ: secus verò esse, si ponatur tantum in executione gratiæ. Et enim illa, quæ apponuntur in executione gratiæ, non firman gratiam ad verus vitium subreptionis, arg. Clem. 1. in fin. de Præbend. ac notant Abbas, Menochius & Barboza, ubi supra, num. 3. allegans alios; atque exinde n. 4. subjungens, quod executor debeat cognoscere de colore tituli, non obstante clausula istâ.

Tacentur nonnullæ aliæ limitationes præfate Conclusionis, quarum universim septem adducit Menochius d. cas. 201. n. 140. & seqq. Et quia hodie de stylo Curiæ solet in talibus Rescriptis plurimique apponi aliqua dictarum clausularum; & præter illa, Amoto quolibet illicito detentore: hinc dicta num. 11. Conclusio in praxi vix amplius habet locum.

§. II.

De concessione, ac promissione Beneficiorum non vacantium: ubi & de Canonicis Supernumerariis.

S U M M A R I U M.

- 18 Beneficia nondum vacantia nec concedi possunt per Prælatos Papæ inferiores, nec promitti. Et num. seqq.
- 19 Beneficii vacaturi promisso nihil valet, nullamque inducit obligationem.
- 20 Etiam si data fuisset in scriptis.
- 21 Neque obstat appellatio in contrarium.
- 22 Solvitur notabilis instantia, desumpta ex c. Accedens h. t. quod postea fuit correctum. Concordat tempora, & concordabis jura. Ibid.
- 23 An, & qualiter, præmissis non obstantibus, possint recipi Canonici supernumerarii cum expectatione futuræ Præbendæ? Et num. seqq.
- 24 Possit fieri talem Canonicorum supernumerariorum receptionem probatur ex consuetudine, etiam Romæ vigente.
- 25 Atque ex Jure Canonico.
- 26 Valida est receptio Canonici supernumerarii quando ea fit pure & simpliciter, nisi cum intentione, ut habeat Præbendam primò vacantem.
- 27 Debetque huic conferri Præbenda, quamprimò vacaverit: & hoc ratione connexionis Canonicatus cum Præbenda.
- 28 Si quis recipiatur in Canonicum cum promissione Præbendæ vacaturæ, valida etiam est receptio in Canonicum, non verò promisso Præbendæ. Et num. seqq.
- 29 Et quæ disparitas?
- 30 Expresse nocent: non expressa non nocent. Ibidem.
- 30 Connexitas Canonice cum Præbenda, quid operatur?
- 31 Differentia inter receptionem altioris in Canonicum, & inter promissionem Præbendæ vacaturæ.

- 32 Receptio ali usus in Canonicum supernumerarium, non reddit effectum Præbendam primò vacaturam.
33 Unde hæc valde cupiam alteri conferetur, etsi illicitè.
34 Alia instantia, probans valere promissionem Præbendæ vacaturæ, dissolvitur.
35 An Canonici supernumerarii debeant habere stolum in Choro, vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas? Et num. seqq.
Quoad hoc standum est speciali consuetudine Ecclesiæ, ubi ea viget.
36 Et quid dicendum seclusâ tali consuetudine speciali.

18 Quæritur I. an Beneficium nondum vacans concedi, vel saltem promitti valeat? Resp. I. Beneficia nondum vacantia nec concedi possunt per Prælatos Papâ inferiores, nec promitti. Textus est expressus in c. Nulla. 2. h. t. quod est desumptum ex Concilio Lateranensi, celebrato sub Alexandro III. & sic sonat: Nulla Ecclesiastica ministeria, seu etiam Beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent: Ne desiderare quis moriem proximi videatur, in cuius locum, & beneficium se crediderit successurum. Cum enim in ipsi etiam legibus Gentilium inventur inhibito, turpe est, & Divini plenum animadversione iudicij, si locum in Ecclesia Dei, futuræ successions expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt. Hæc ibi: junctâ Glossâ y. Condemnare, plures ejusmodi Leges Civiles allegante. Concordat c. Relatum. 3. & c. Ex tenore. 13. h. t. & c. Detestanda. 2. eod. in 6. & novissimè Concilium Tridentinum. Sess. 24. cap. 19. de Reform. atque amplius patebit ex dicendis in progressu: quamquam præmissa Conclusio solum procedat de Prælatu Papâ inferioribus: nam secus esse dicendum de Papa, ex professo dicitur infra n. 40. & seqq.

19 Resp. II. Beneficij vacaturi promissio nihil valet, nullamque inducit obligationem. Ita communis; atque patet ex d. c. Ex tenore. 13. h. t. & c. Detestanda. 2. h. t. in 6. In quo posteriori loco quælibet promissio vacaturi Beneficij reprobatur, sequentibus verbis: Nos malis hujusmodi, & animarum periculis occurrere volentes, promissiones easdem, & alias quascunque, sub quovis modo, aut forma verborum de cætero faciendas, per quas directè vel indirectè aperiri via valeat ad beneficia vacatura, auctoritate Apostolica penitus reprobamus, & omnino viribus vacuumus: decernentes, per eas, vel ipsarum aliquam, ad providendum alicui nullum deinceps quomodolibet obligari. Hæc ibi. Accedit ratio: quia, cum promissiones Beneficij vacaturi sint contra Jus commune, atque expressam prohibitionem Concilij Generalis, in c. Nulla. 2. h. t. relati, cum similibus; hoc ipso nulla ex ipsis oriri potest obligatio, juxta cap. ult. de Pactis, ibi: Pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilitatis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit. Concordat Reg. 64. Jur. in 6. Quæ contra jus sunt, debent utique pro insectis haberi.

20 Atque istud ampliatur ad illum casum, quo ejusmodi promissio Beneficij vacaturi data fuit in scriptis. Nam talis promissio, etiam scriptis consignata, atque in Judicio producta, non tenet, neque promittentem obligat; eò, quod attentata fuerit contra Statutum Concilij Generalis proximè relati, text. clar. c. ex tenore. 13. h. t.

21 Nec obstat appellatio eorum, quibus promissa fuerunt Beneficia necdum vacantia. Adhuc enim hæc non obstantè possunt, & debent eadem, postquam vacaverint, personis idoneis conferri. Textus est in c. Relatum. 3. h. t. ibi: Cum in Lateranensi Con-

cilio promissiones factæ de Ecclesiis non vacantibus sunt cassatæ: prætextu appellationis eorum, qui dictis promissionibus inmittuntur, omitti non debet, quin Ecclesiæ, cum vacaverint, de personis idoneis ordinentur. Hæc ibi. Nec immerito: nam appellatio censetur frivola, & iniqua, quæ fit contra Jus clarum; sicutque ipsi non est deferendum, arg. c. Consuluit. 29. junctâ Glossâ fin. de Appellat. & c. Relatum. 4. de Cleric. non resident. Et quæ jam dictum suprâ Lib. 2. Tit. 23. De Appellationibus. §. 11. num. 308.

Objicies breviter contra præmissam Conclusionem. 22 In c. Accedens. 14. h. t. obligatur Prælatas promittens Beneficium sub hac forma, Cùm poterit: vel, Cùm facultas se obtulerit. Quia, ut inquit Pontifex ibidem, aliud est, Prælatum promittere beneficij collationem, Cùm poterit; aliud, Cùm vacabit: cùm in multis casibus se facultas offerre possit, in quibus collatio non est in expectatione vacaturi beneficij differenda: ergo data Conclusio non subfiliat. Resp. cum Fagnano in c. Nulla. n. 6. h. t. & aliis, quod Beneficium promittens dicto modo, olim quidem fuerit obligatus; hodie verò non: idque fit propter novam Constitutionem Bonificij VIII. in c. Detestanda. 2. h. t. in 6. relatum. Ibi quippe prior illa Constitutio expressè revocatur, ob plurima incommoda, & gravamina inde subsequenda; & omnes omnino promissiones, tam sub prædictâ, quam quacunque alia verborum forma conceptæ, per quas directè, vel indirectè aperiri via valeat ad Beneficia vacatura, auctoritate Apostolica penitus reprobantur, & omnino viribus vacuumant. Unde impræsentiarum subintrat illud vulgatum: Concordat tempora, & concordabis jura. Glossâ can. Si Ecclesiæ. 23. q. 4. y. Temporibus. & communis.

Quæritur II. An, & qualiter, præmissis non obstantibus, possint recipi Canonici supernumerarii, cum expectatione futuræ Præbendæ? Resp. I. Quæstio hæc notabiliter continet instantiam contra proximè dicta de prohibiti promissione, hujusque invaliditate quoad Præbendam, seu Ecclesiam non vacantem: talem enim promissionem videtur involvere receptio Canonici supernumerarii, cum expectatione futuræ Præbendæ.

Et quidem, quantum atinet priorè partem 24 proposita Quæstionis, posse fieri dictam Canonici supernumerarii receptionem; suadet praxis & consuetudo passim recepta in Ecclesiis Cathedralibus, atque Collegiatis. Et talem consuetudinem, vi cuius Canonici recepti, infra certum tempus, & aliquando ad annum, aliquando ad duos vel plures annos, non possunt petere portiones suas, sive Præbendam; etiam obtinere Romæ, & quidem approbatam, testatur Innocentius in c. Dilectus filius. 19. vers. Et quod diximus. & Jo. Andreas ibid. n. 4. de Præbend. Qualem proinde consuetudinem, longævo jam tempore continuatam, atque à Viris peritis, simulque conscientiosis præcitantam, temerè damnare non licet.

Id ipsum satis aptè desumitur ex Jure Canonico. Nam in c. Cùm M. 9. de Constitut. quatuor nates supernumerarii Canonici leguntur recepti, nec factum illud à Papa fuit improbatum: quin potius est approbatum, cùm Pontifex jussit eidem de superexcellentibus fructibus provideri. Accedit c. Relatum. 9. de Præbend. ubi quidam Magister in Ecclesiæ Cantuariensi Canonici esse institutus sub promissione de conferenda sibi Præbenda proximè vacatura, cui etiam conferendam esse primam Præbendam, cùm in Ecclesiâ ipsa vacaret, Pontifex censuit, eamque conferri mandavit. Simile quid habetur in c. Dilectus filius. 19. eod. ubi Papa talem receptionem Canonici supernumerarii expressè approbat, illis verbis: Quod est licitum, approbatos: ac

notat Innocentius num. 2. vers. Item hic habes. Fagnanus ibid. num. 8. citans alios. Concordat c. Cùm Super. 8. h. t. ubi patet quis legitur receptus in Canonico supernumerarium, jussitque Papa, ut ipsi quam cùo se facultas obtineret, Præbendale beneficium conferatur. Nec immerito: Quia non est congruum, ut Præbendâ careat, qui in Canonico noscitur esse receptus, ut inquit Pontifex cit. c. Relatum. 9. de Præbend. Qualiter autem istud fieri possit non obstantibus dictis Quæst. præced. dubium remanet. Pro cuius resolutione

26 Resp. II. Quando receptio Canonici supernumerarii fit purè & simpliciter, etsi cum intentione, ut receptus habeat Præbendam primò vacaturam, valida est receptio ipsius. Ita Glossa in c. Cùm M. y. ad vacaturas Præbendas. de Constitut. quom Glossam esse tenendam, notat Abbas eod. cap. n. 28. & 29. & Fagnanus ibid. num. 58. asserens, ita indubitanter esse concludendum: & alii. Idque desumitur ex Juribus num. præced. allegatis; ac præsertim ex c. Dilectus filius. 19. de Præbend. & c. Pro illorum 22. eod. junctâ Glossâ fin. hic, inde inferente, quod si Canonici aliquem recipiant ultra numerum, etiam sua auctoritate, non augeant numerum Præbendarum, licet augeant numerum Canoniceorum; ut c. Cùm M. 9. de Constitut. cum similibus. Accedit Ratio: quia in tali casu nulla fit promissio Beneficij, vel Præbendæ vacaturæ; sicutque talis receptio non urgetur ex hæcens dictis, nec aliunde continet quid contra Jus commune. Assumptum probatur. Quia, cùm aliud sit Canonici, aliud Præbendæ, juxta Glossam in cit. c. Cùm M. y. Receptum. de Constitut. estque jam dictum suprâ Tit. 5. De Præbendis. §. 3. n. 57. in casu nostræ Conclusionis Canonici non promittitur, sed de præsentî conferitur purè ac simpliciter; neque etiam fit promissio Præbendæ impofterum vacaturæ, hoc ipso, quod Canonici conferatur purè ac simpliciter, sicutque abique pacto, seu promissione ipsius Præbendæ.

27 Nec obstat, quod Canonico supra numerum recepto debeat conferri Præbenda, quamprimùm vacaverit, c. Relatum. 9. de Præbend. cum concordantibus. Resp. enim cum Abbate in c. Cùm M. num. 29. de Constitut. & aliis, quod ejusmodi Canonici supernumerarii debeant quidem habere Præbendam proximè vacaturam; id tamen non fieri ratione promissionis (hæc enim non intervenit; & si interveniret, nullius foret roboris) sed ratione Canoniceus jam recepti, seu ex vi connexionis, quam Jus sic disponente habet Canonici ad Præbendam: Quia videtur indignum, ut receptus in Canonico Præbenda beneficio defraudetur, prout loquitur Pontifex in d. c. Dilectus filius. 19. §. Cùm ergo. de Præbend. Glossa in cap. 2. y. Indirectè. h. t. in 6. Fagnanus c. Cùm M. n. 63. post Innocentium ibid. n. 6. de Constitut.

28 Resp. III. Quod si verò quis recipiatur in Canonico supernumerarium, & vel in continent, vel ex post factò promittatur ipsi Præbenda proximè vacatura: tunc valida quidem est receptio in Canonico, non verò promissio Præbendæ vacaturæ. Ita Glossa in c. Detestanda. 2. y. Indirectè. h. t. in 6. Fagnanus cit. c. Cùm M. à n. 59. usque ad 69. allegans alios. Conclusio hæc quoad utramque partem desumitur ex sæpe cit. c. Dilectus filius. 19. de Præbend. ubi conspiciuntur inter Legatum Sedis Apostolicæ, & Episcopum Capitulumque Lincolniense inita, ut quis recipere in Canonico, fructus tamen Præbendæ percipere non deberet, nisi loco proximo vacaturo: approbatur quoad priorè partem, eò quod aliquem in canonico supernumerarium recipi, Canonici non obviat Injunctis: reprobatur autem quoad partem posteriorem, seu quoad promissionem de fructibus Præbendæ percipiendis lo-

co proximo vacaturo; eò quod vacaturam expectare Præbendam, Lateranensi Concilio non sit dubium obviare, prout argumentatur Pontifex ibidem. Confirmatur: quia aliud est Canonici, aliud Præbendæ, ut dictum: simulque in illis, quæ sunt ab invicem separabilia, vile non debet per inutile vitari, juxta Reg. 37. Jur. in 6. ergo non mirum, quod promissio vacaturæ Præbendæ, utpote facta contra Concilium Lateranense, relatum in c. Nulla. 2. h. t. fit ipso jure invalida: bene tamen valeat receptio alicujus in Canonico supernumerarium, utpote nullo Jure prohibita. Per hæc enim conferuntur Canonici purè, & de præsentî; non verò promittitur aliqua impofterum vacatura: unde hæc, veluti quid distinctum, atque separabile à Præbendâ, non debet per invalidam, sicutque inutilem promissionem Præbendæ vitari.

Dices. Si in dato casu valida est receptio alicujus in Canonico, seu collatio Canonice; ergo hoc ipso etiam debet valere adjuncta promissio Præbendæ vacaturæ. Probat quæ sequentia. Quia hæc promissio aliud non est, quam expressio illius, quod de Jure communi tacitè inest; cum ex vi connexionis, Jurisque dispositione, habenti Canoniam debeat Præbenda. Resp. neg. consequenter. Quia promissio vacaturæ Præbendæ resistit Concilio Lateranensi in cit. c. Nulla. 2. h. t. eò quod induceret votum captandæ mortis proximi, si valeret. Unde si hæc expressè fiat, erit invalida, ob resistentiam Juris communis, tale pactum reprobantis: scilicet, si conferatur Canonici simpliciter ac pure, est cum intentione suo tempore recipiendi, vel conferendi vacaturam Præbendam: nam talis intentio nullum continet pactum, seu promissionem habentem vim obligandi. Unde sic subintrat illud, quod l. Expressa. ff. de Reg. Jur. habetur: Expressa nocent, non expressa non nocent.

Nec urget connexitas Canonice cum Præbenda, Jurisque communis dispositio. Nam inde solum sequitur quod non sit congruum, ut Præbendâ careat, qui in Canonico noscitur esse receptus; prout loquitur textus sæpe cit. c. Relatum. 9. de Præbend. Sive, quod videtur indignum, ut receptus in Canonico præbendæ beneficio defraudetur, juxta c. Dilectus filius. 19. eod. Nullibi tamen habetur, quod ex receptione alicujus in Canonico, jus ad vacaturam Præbendam eidem acquiratur: nam quod Capitulum jus ad primam vacaturam dare non possit, sed solum Papa, constat ex cit. c. Nulla. h. t. & c. Detestanda. eod. in 6. Ubi, cum Glossa y. Indirectè, dixisset, quod receptus in Canonico ex receptionis virtute debet habere Præbendam: illicè Glossa marginalis dictum illud corrigit, asserendo, non debere intelligi, quod Præbenda ita sit debita, ut sit affecta, juxta notata in c. Si soli. in gloss. ult. ultra med. y. Utrique. eod. in 6.

Unde Doctores, ac signanter Fagnanus cit. c. Cùm M. nu. 62. & 63. post Jo. Andream ibid. nu. 11. de Constitut. & Innocentium c. Inter cætera circa fin. de Præbend. & alios, notabilem dant differentiam inter receptionem alicujus in Canonico supernumerarium, & inter promissionem vacaturæ Præbendæ. Quia, si talis promissio foret valida, competeret Canonico illi, veluti promissario, jus respectu talis Præbendæ, ad eò, ut haberet actionem contra alium, cui Præbenda illa postmodum se invito conferretur, eamque possideret (nam ex pacto, putâ, ex promissione valida, oriri actionem secundum Canones, patet ex cap. 1. & 3. de Pactis, cum concordantibus) sicutque subintraret etiam votum captandæ mortis alterius, à Concilio Lateranensi reprobatum. Scilicet dicendum de receptione alicujus in Canonico supernumerarium à Capitulo facta: nam huic conferretur solummodo Canonici, & quidem de

præfenti: ad vacantiam Præbendam verò jus non datur, neque dari potest, ob resistantiam Concilii Lateranensis sæpè d. c. Nulla. 2. h. t. relati; sicque cessat ratio, siue periculum voti captandæ mortis alterius.

32 Huc accedit Declaratio Sac. Congregationis Concilii Tridentini, quam refert Fagnanus cit. c. Cum M. n. 65. de Constitut. quæ censuit, Possè ab Episcopo Canonicos supernumerarios creare, eà tamen conditione, ut nullum jus ad Præbendam vacantiam habeant; vel vendicent sibi ex tali erectione. Aliam confirmatam Declarationem ejusdem Sac. Congregationis, ad Sess. 24. cap. 19. de Reform. editam, refert Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. §. 1. Proem. n. 64. sequentibus verbis: Ex hoc Decreto expectatarum supernumerarum colligitur, non posse erigi Canonicatum supernumerarium ad futuram Præbendam: nempe, hanc impofterum vacantiam promittendo, a seò ut de jure sit debita Canonico ultra numerum recepto; atque reddatur affecta, ita nempe, ut si alteri, etiam ignoranti, vel ab ignorantibus postea conferatur, non valeat collatio. Etenim Capitulum jus ad Præbendam primò vacantiam dare non potest, ut dictum.

33 Inferitur proinde, quòd si Episcopus, aut Capitulum, prætermisso Canonico supra numerum recepto, Præbendam proximè vacantem conferret alteri: illicitè quidem ageret, & contra dispositionem Juris communis, utpote indignum reputantis atque incongruum, ut receptus in Canonicum Præbendæ careat: non tamen eam conferret invalidè. Prout in simili habetur c. Si soli. h. t. in 6. ibi: Licèt si contra faciat, puniendus existat: ei tamen potestas sic non adimitur conferendi, quin teneat alteri facta collatio ab eodem. Hinc Glossa in cit. c. Si soli. §. Firmitatem. h. t. in 6. post medium, ait, Si uterque autoritatis Capituli expectet, de æquitate debetur primo Præbenda: si tamen Capitulum eam secundo, vel neutri, sed tertio conferat, tenet collatio; quia Capitulum jus ad primam vacantiam dare non potuit, sed solus Papa, c. Deteftanda. eod. in 6.

34 Quòd, si contra hætenus dicta objicias. Teneat Episcopus tali Canonico supernumerario conferre Præbendam etiam vi suæ promissionis, si quam fecit; ergo. Antecedens probatur ex c. Relatum. 9. de Præbend. ibi: Et Præbendam, si qua nunc vacat, vel cum ibi primò vacaverit, secundùm promissionem tuam concedas liberaliter. Ubi Glossa §. In promissis, ait, hanc promissionem valere; ergo. Resp. negando antecedens, cum suæ probationis consequentia: nam, ut notat Fagnanus in c. Cum M. n. 38. de Constitut. contra Glossam illam est communis opinio, à qua non videtur recedendum. Nec obstat allegatus textus. Licèt enim Papa mandet ibi conferri Præbendam juxta promissionem, non tamen ex promissione jus aliquod erat acquisitum Canonico; sed ad majorem aggravationem Archiepiscopi, recusantis recepto in Canonicum conferre Præbendam, Papa ponderat illam promissionem: prout notat Abbas in c. Dilectus filius. 19. n. 5. de Præbend. ac sequitur Fagnanus, ubi supra num. 62.

35 Queritur III. Utrum Canonici supernumerarii debeant habere stallum in Choro, vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas? Resp. I. Quando circa hoc alicubi viget specialis consuetudo Ecclesie, tunc standum est illi consuetudo Ecclesie, tunc standum est illi consuetudo Ecclesie, tunc standum est illi consuetudo Ecclesie, tunc standum est illi consuetudo Ecclesie. Ita Glossa in c. Cum M. §. Ultra numerum. & Abbas idid. n. 29. de Constitut. & Fagnanus c. Dilectus. il. 1. n. 16. & 17. de Præbend. asserens Glossam illam communiter recipi; & hoc procedit juxta limites consuetudinis, seu juxta principia generalia, quæ Lib. 1. Decretal. Tit. 4. De Consuetudine, tradi solent. Unde alicubi consuetudo habet, ut Canonici supernumerarii, de voluntate propria Capituli ultra numerum recepti,

si præfentes, Choroque interessentes existant; habeant quidem stallum in Choro, gaudeantque distributionibus quotidianis. arg. c. Dilectus filius. 19. de Præbend. non autem habeant vocem in Capitulo: de quo videatur dicta superius Tit. 5. n. 58. & seqq. de Præbend.

Resp. II. Quòd si circa hoc non habeatur specialis consuetudo Ecclesie, variæ extant Doctorum opiniones; uti videre est apud Abbatem cit. c. Cum M. num. 29. & 30. de Constitut. & Fagnanum, ubi supra num. 16. Breviter tamen videtur dicendum, quòd si quis à Capitulo simpliciter recipiatur ultra numerum, taliter receptus debet habere stallum in Choro, vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas, expectandam tamen Præbendam, donec vacaverit. Quia enim talis simpliciter receptus est ad jus Canonica, consequenter debet habere jura Canonicalia: sibi que impudent Capitulares, qui eum taliter receperunt. Secus, quando receptio ultra numerum fit Capitulo non simpliciter, sed eo adjecto, ut sit supernumerarius; nam talis adjectio, seu protestatio denotat, quòd Capitulum noluerit frangere numerum; sicque nec conferre jura Canonicalia ordinaria, sed solummodo jus quoddam extraordinarium, ac preparatorium ad ea; prout pluribus tradit Fagnanus cit. c. Dilectus filius. il. 1. n. 21. 22. & seqq. de Præbend.

§. III.

De Gratiis expectativis, Reservacionibus mentalibus, & nonnullis aliis.

SUMMARIUM.

- 37 Gratia expectativa, &
- 38 Reservaciones mentales, quæ; & qualiter differant?
- 39 Sunt abrogatæ per Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 19. de Reform.
- 40 Loquendo de Episcopis, & aliis Prælatiis Papæ inferioribus: non item de Summo Pontifice. Papa potest jus tribuere in Beneficiis vacantibus. Ibid.
- 41 Intelligendo istud de potestate sua absoluta, non de ordinaria.
- 42 Papa est supra Jus positivum humanum, potestque in eo dispensare. Concilium Tridentinum Decreta sua subiecit Romano Pontifici, ab eo que petivit illorum confirmationem. Ibid.
- 43 Quomodo Papa in provisione Præbendæ vacantium, possit tollere vitium voti captandæ mortis alterius?
- 44 Ecclesie non numeratæ, & Ecclesie numeratæ, quæ?
- 45 In Ecclesiis non numeratis vacatio Præbendarum possibilis non est. Nec etiam devolutio collationis ad Superiorem ob negligentiam inferioris. Ibid.
- 46 Quid agendum, si in Ecclesia non numerata Canonici sint negligentes in statuendis novis Canoniciis juxta facultates Ecclesie.
- 47 Collator ordinarius, seu habens potestatem conferendi, nequit alteri delegare potestatem conferendi primùm Beneficium, quòd vacabit.
- 48 Solvitur instantia.
- 49 Id ipsum ampliatum ad potestatem præsentandi ad Beneficium primò vacantium.
- 50 Potest tamen Collator ordinarius alteri delegare potestatem conferendi certum Beneficium jam vacans.

51 Potestque Episcopus suo Vicario Generali delegare omnimodam potestatem conferendi vacantia Beneficia in genere, ac indeterminatè.

52 Non verò cupiamus alteri, præter Vicarium Generalem.

53 Fallit in præmissis Regula illa: Cui licet, quòd plus est, licet utique quòd minus est.

54 Fallit quoque alia Regula: Potest quis per alium, quòd potest facere per se ipsum: & cur?

37 Queritur I. Quid sint Gratia expectativa, atque Reservaciones mentales; & qualiter prohibita? Resp. I. Gratia expectativa sunt illæ, quæ dantur ad obtinendum Beneficium non jam vacans, sed postea vacantium. Et dicuntur, Expectativæ: eò quòd illi, quibus conferuntur, jubentur expectare usque ad tempus futuræ vacationis, & tunc primùm consequuntur effectum talium gratiarum. Nam quòd Papa possit tribuere jus in Beneficiis vacantibus, textus est in c. Licet. 2. de Præbend. in 6. ibi: Verum etiam jus in ipsis tribuere vacantibus, cum similibus: quidquid sit de aliis Prælatiis inferioribus, antiquitus talem potestatem sibi arrogaverunt.

38 Porro Reservaciones mentales, olim non inusitata, fieri celebantur, quando, v. g. Papa reservabat Beneficium in specie, aut in genere, per Bullam aut Breve, ut persona gratia exinde provideret, quam non exprimebat, sed in mente retinebat. Et hujusmodi Reservaciones appellantur mentales: quasi in mente retentæ quoad personam, cui Pontifex providere volebat: hanc enim Papæ à principio non exprimebat, sed quando postea vacaverat Beneficium, tunc primùm tali vel tali personæ mandabat provideri de illo. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. §. 1. Proem. num. 66. & 67. post Castellorum Decis. 4. de Reservacion. num. 1. & seqq. Simonetam de Reservat. q. 4. num. 2. & 20. & Mandosium in Reg. 11. q. 4. num. 2. Unde Reservaciones mentales differunt à Gratia expectationis, quòd in istis mox à principio exprimitur persona, cui Beneficium vacantium conferri debet, non verò in Reservacionibus mentalibus.

39 Resp. II. Gratia expectativa, nec non Reservaciones mentales, & quæcumque aliæ gratiæ ad vacantia, novissimè à Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 19. de Reform. sublata fuerunt, & abrogatæ, illis verbis: Decernit Sancta Synodus, Mandata de providendo, & gratias, quæ Expectativæ dicuntur, nemini amplius etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis, etiam sub nomine Indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, nec hætenus concessis cuiquam uti licere. Sed nec Reservaciones mentales, nec aliæ quæcumque gratiæ ad vacantia, nec Indulta ad alienas Ecclesias, vel Monasteria alicui, etiam ex Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalibus, concedantur; & hætenus concessa, abrogata esse censentur. Hæc ibi: Concordat c. Nulla. de Concess. Præbend. & c. Deteftanda. 2. eod. in 6.

40 Resp. III. Nihilominus prædicta prohibitio, seu gratiarum expectatarum, & Reservacionum mentalium abrogatio, solum intelligenda est de Episcopis, & aliis Prælatiis Papæ inferioribus; non autem de ipse Summo Pontifice. Ita communis. Nam, quòd Papa possit jus tribuere in Beneficiis etiam primùm vacantibus, textus est in c. Licet. 2. de Præbend. in 6. dicens, quòd beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscat Pontificem pertinere; ita quòd non solum ipsa, cum vacant, potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis præbere vacantibus. Ubi Glossa §. Va-

caturis, notanter addit. Quòd alius non potest, cap. 2. de Concess. Præbend. Etiam Legatus à Latere; ut c. Dilectus filius. T. 19. de Præbend. Concordat c. Ne Captandæ. 3. h. t. in 6. ibi: Ex benignitate gratiarum Sedis Apostolicæ: ubi proinde, sicut & c. Authoritate. eod. in 6. & alibi sæpè, hujusmodi Gratias expectativas ad Beneficia vacantia, per Papam concessas fuisse, legitur.

Nec obstat proximè relata prohibitio Concilii Tridentini. Resp. enim; inde solum sequi, quòd Papa non possit jus tribuere in Beneficiis vacantibus, per viam juris communis; seu (ut alii loquuntur) de potestate sua ordinaria, ac secundum Jus commune regulatâ; sed loquendo de potestate sua absoluta, & suprema, atque per viam dispensationis, quæ est juris relaxatio; nec est adhibenda, nisi subit necessitas, vel utilitas. Fagnanus c. Nulla. n. 92. & seqq. h. t. & concordat dicta superius Lib. 1. Tit. 2. De Constitucionibus. §. 18. n. 459. & Tit. 31. De Officio Judicis ordinarii. §. 1. n. 7. & 8.

Accedit, simulque magis declaratur data Constitutio ex eo. Tum quia Papa est supra Jus positivum humanum; potestque de plenitudine potestatis in eo dispensare, c. Proposuit. 4. h. t. ibi: Qui secundùm plenitudinem potestatis de jure possimus supra jus dispensare. Tum quia Concilium non est supra Papam: imò ipsum Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 21. de Reform. expressè declarat; Omnia, & singula, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina in hoc Sacro Concilio statuta sunt; ita decreta fuisse, ut in his salva semper autoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur. Simulque idem Concilium, more ab antiquo jam recepto, omnia sua Decreta subiecit Romano Pontifici, ab eo que petivit illorum confirmationem; prout habetur in hæc dicti Concilii. Verum occasione præmissorum, atque pro solutione cuiuspiam instantiæ contra datam Conclusionem formandam;

43 Petes, quomodo Papa in provisione Præbendæ vacantium possit tollere vitium, quòd est in provisione Præbendæ, vel Beneficii vacantium; voti scilicet captandæ mortis proximi, in cuius locum, & beneficium quis credit se successurum; contra c. Nulla. 2. h. t. Resp. cum Fagnano cit. c. Nulla. num. 82. h. t. id fieri ex eo: quia Papa est supra Jus; ac proinde nihil impedit, quin illud possit facere urgente necessitate, publicè utilitate aut aliâ jussu de causâ. Eò præsertim, quia Beneficii vacantium promissio non inducit votum captandæ mortis casualiter; sed tantum occasionaliter, ut idem lo. cit. n. 15. loquitur; sicque potest purificari tum suâ supremâ potestate; tum præsertim ex urgente gravi necessitate, aut aliâ jussu de causâ, sine qua Pontifex non solet in Jure communi dispensare; neque contra illud uti suâ supremâ potestate. Unde de facto, seu post Concilium Tridentinum, Romanos Pontifices rarissimè Gratias expectativas ad Beneficia vacantia indulgere, notat Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. §. 1. Proem. num. 60. In Germania quoque tales locum habere non solent, ob expressam promissionem Pontificiam non gravandi Collatores ordinarios in mensibus alternis, suæque dispositioni relatis, per quamcumque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem; prout continetur in Concordatis Germaniæ, supra Tit. 5. De Præbendis. §. 18. num. 535. jam relatis. Et hinc superfluum videtur plura, de Gratias expectativas differere: eò præsertim, quia de presentatione, atque prevalentiâ Literarum Apostolicarum, seu Relcriptorum ad Beneficia, cæterisque hæc pertinentibus, copiose jam dictum est superius Lib. 1. Tit. 3. De Rescriptis. §. 3. & 4. & seqq. quasi per totum.

44 Queritur II. Utrum in Ecclesiis non numeratis locum

locum habeat vacatio Præbendarum, atque devotio potestatis eadem conferendi ad Superiorem. Ubi sciendum, quod Ecclesie non numerata dicantur illæ, in quibus non est præfixus certus numerus Canonicorum, vel Præbendarum. Abbas c. Ex parte Astenfis. 10. num. 1. h. t. Sicut e contra Ecclesie numerata appellatur, in quibus adest determinatus numerus Canonicatum, atque Præbendarum. Quo prænotato,

45 Resp. I. In Ecclesiis non numeratis vacatio Præbendarum, seu Canonicatum, possibilis non est: atque idcirco ibi non fit devolutio collationis ad Superiorem ex negligentia semeltri in non providendo Ecclesie de Ministris. Ita textus notabilis in c. DD. ibid. Accedit ratio: quia vacatio dicitur respectu existentie, & numeri; hoc est, quia non existunt tot v. g. Canonicatus, quot juxta taxatum numerum existere deberent. Abbas c. Dilecto. num. 9. de Præbend. Unde consequens est, quod in Ecclesia non numerata nunquam dari possit vacatio, hoc ipso, quod certus numerus v. g. Canonicatum non sit præfixus: sique ulterius consequens est, quod in eisdem nec deest devolutio potestatis conferendi Beneficia vacaturæ, de qua fit sermo in c. Nulla. 2. h. t. atque notat Pontifex in cit. c. Ex parte Astenfis. eod. Et hinc in c. Dilecto. 25. §. Præced. de Præbend. dicitur, quod in Ecclesia, in qua non est certus numerus Præbendarum, & in Canonicis quis assumitur, is intelligatur ad quoddam jus eligi, quod ex electorum assensu de novo creatur, vel cum electo in Canonicum nascitur, & definit cum defuncto. Ubi ponderando ly, definit cum defuncto, clarè desumitur, quod mortuo tali Canonicò propriè non vacet Canonicatus ipsius, sed potius extinguatur, seu desinat cum defuncto: ut proinde non mirum, in tali casu non sit locus devolutioni ad Superiorem, propter negligentiam conferendi intra semestre: nam Concilium Lateranense relatum c. Nulla. 2. h. t. & talem devolutionem statuens; loquitur de vera vacatione Beneficiorum.

46 Resp. II. Nihilominus, si in Ecclesia non numerata Canonici sint negligentes in statuendo novos Canonicos juxta facultates & consuetudinem illius Ecclesie; tunc Superior immediatus statuatur terminum ei, ad quem spectat institutio, ut infra ipsum providet Ecclesie secundum consuetudinem ejusdem Ecclesie; quod si is non fecerit, ipsemet Superior providebit. Ita Abbas cit. c. ex parte Astenfis. n. 15. & Vivianus in Rational. ibid. §. 2. h. t. Pirhing eod. n. 42. & communis. Idque desumitur partim ex cap. 1. de Institut. ubi numerus Clericorum jubetur institui in Ecclesiis secundum harum facultates. Tum ex c. Irrefragabili. 13. §. Excessus. de Offic. Ordinar. & c. Cæterum. 5. junctâ Glossâ fin. de Judiciis, ubi negligente Ordinario transfertur jurisdictione ad Superiorem.

47 Quæritur III. Utrum Collator ordinarius, seu habens potestatem conferendi, possit alteri tradere potestatem conferendi Beneficium vacans, vel proximè vacaturum? Resp. I. Collator ordinarius, si habens potestatem conferendi Beneficia, non potest de jure alteri tradere, seu delegare potestatem conferendi primum Beneficium, quod vacabit. Ita textus in c. Constitutus. 11. §. fin. & Glossâ ibid. §. In fraudem. & Abbas in Summario, & num. 5. & Vivianus in Rational. h. t. & Pirhing eod. n. 9. Ratio est: quia concessio potestatis conferendi ita individua, & determinata ad Beneficium proximè vacaturum, fieri possit in fraudem Canonice Sanctionis, per quam prohibetur Ecclesiastica beneficia concedi, siue promitti, antequam vacent; prout loquitur Pontifex in cit. c. Constitutus. h. t. Nam, ut declarat Abbas ibid.

num. 3. volens Titio amico suo promittere Beneficium vacaturum, donaret alteri amico suo potestatem conferendi Beneficium primum vacaturum; & sic Titius esset quodammodo totus indirectè de concessione beneficii, sibi ab altero amico suo conferendi; atque subintraret votum captandæ mortis proximi, ut citius beneficium consequi valeret, contra Sanctionem Concilii Lateranensis, in c. Nulla. 2. h. t. relati. Cum igitur malitia, & fraudibus hominum, non sit indulgendum, c. Sedes. 15. de Rescript. & l. In fundo. ff. de Rei vendicat. cum similibus; atque nota sit Reg. 84. Jur. in 6. Cum quid una via prohibetur alium, ad id aliud non debet admitti: merito talis concessio potestatis conferendi proximè vacaturum Beneficium, reprobatum à Jure, ut supra.

Nec obstat, quod in cit. c. Constitutus. §. Quocirca. 48. ca. h. t. Papa confirmaverit, atque servari mandaverit collationem Beneficij proximè vacaturum, quam Canonicus H. cui Episcopus dederat potestatem conferendi Præbendam Sacerdotalem primò ibidem vacaturam, duxerit canonicè faciendam. Resp. enim, præstatum Mandatum Apostolicum gratiam continere personam; prout loquitur Pontifex ibid. §. fin. quam proinde Pontifex noluit alius concedi, neque ad consequentiam trahi: idque ad evitandam fraudem erga Canonicas Sanctiones de non promittendis Beneficiis necdum vacantibus; prout liquet ex litera cit. cap. Constitutus. §. fin. h. t.

Atque data Conclusio ampliat ad potestatem ad præsentandum ad Beneficium primò vacaturum. Sic ut enim Patronus non potest promittere, se præsentaturum aliquem ad beneficium vacaturum; ita nec potest dare aliquid potestatem præsentandi ad beneficium in specie, antequam vacet: & si factus fiat, non tenet. Textus est in cap. ult. h. t. ubi Abbas in Summario & num. 6. & Vivianus ibid. & Barbosa in Collectan. n. 1. citans alios. Ratio est, quæ supra: quia etiam hic indirectè fieret, aut fieri posset promissio Beneficij primò vacaturum, contra sæpè dictum Concilium Lateranense, c. Nulla. 2. h. t. relatum.

Resp. II. Potest nihilominus Collator ordinarius, seu ille, qui habet potestatem conferendi; delegare, seu tradere alteri potestatem conferendi certum Beneficium jam vacans. Ita Glossâ c. Deliberatione, §. Cuiusque. de Offic. Legat. in 6. & Abbas in d. c. Constitutus. num. 5. h. t. Pirhing eod. nu. 9. & alii. Idque argumento à sensu contrario, desumitur ex textu cit. c. Constitutus. §. fin. ibi: Promitti, antequam vacent. Accedit ratio: tum quia tunc cessat fraus, Concilio Lateranensi inferenda; eò quod beneficium jam vacet, sique locum habere nequeat votum captandæ mortis proximi. Tum quia Beneficium vacans potest canonicè in specie conferri: ergo pariter nihil impedit, cuiusmodi concedi, seu delegari potestatem illud conferendi.

Resp. III. Insuper potest Episcopus suo Vicario Generali delegare omnimodam potestatem conferendi vacatura Beneficia in genere, atque indeterminatè. Ita Glossâ d. c. Constitutus. §. Contra formam concessionis. & Jo. Andreas ibid. numer. 7. & Abbas num. 5. & Barbosa num. 3. h. t. & idem Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 54. numer. 61. citans alios. Atque istud patet ex cap. ult. junctâ Glossâ §. Commissa. de Offic. Vicar. in 6. ubi dicitur, quod Officialis, aut Vicarius Generalis Episcopi beneficia conferre non possunt: nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissâ: & consequenter potest Episcopus ipsis quorumcumque beneficiorum (siue, beneficiorum in genere) collationem specialiter committere. Concordat c. Ex

frequentibus, 3. de Institut. Ubi Officialis Episcopi dicitur posse Beneficia conferre. Subintelligitur, quando hoc ipsum eisdem specialiter est commissum, arg. cit. cap. ult. de Offic. Vicar. in 6.

52 Additur notanter in Conclusione, potest Episcopus suo Vicario Generali &c. Nam Episcopus non potest alteri, qui Officialis, seu Vicarius Generalis non est, hoc jus conferendi quæcumque Beneficia vacatura committere, arg. c. Deliberatione. §. Prohibemus. de Offic. Legat. in 6. Ubi hoc ipsum, ad præcavendum fraudibus contra Concilium Lateranense committendis, denegatur Legatis Apostolicis: ac notat Abbas cit. num. 5. & Barbosa d. allegat. 54. num. 60. post Quintanadvenas Ecclesiasticor. lib. 1. cap. 5. in fin.

53 Atque ex dictis inferitur duplex fallentia Regularum Juris. Imprimis enim plus est, posse conferre omnia Beneficia vacatura, quam unum duntaxat vacaturum in specie: tamen illa potestas potest committi per Episcopum Vicario suo Generali: non verò ista, juxta proximè dicta Concl. 1. & 3. Quod tamen est contra Reg. 57. Jur. in 6. quæ habet: Cui licet, quod plus est, licet utique, quod minus est.

54 Deinde Legatus Papæ potest per se ipsum recipere resignationes Beneficiorum infra fines suæ Legationis, eademque postmodum conferre; non verò per alium, cit. c. Deliberatione. §. Prohibemus. de Offic. Legat. in 6. Similiter Episcopus potest per se ipsum omnia Beneficia vacatura conferre, non verò per alium, nisi fuerit Vicarius Generalis ipsius. Horum autem utrumque est contra Reg. 68. Juris in 6. ibi: Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. Verum ratio specialitatis, seu fallentia dicitur Regularum in casibus præmissis, est periculum fraudis committendæ contra Concilium Lateranense, in c. Nulla. 2. h. t. prohibens conferri, vel promitti Beneficia primum vacatura: facilius enim talis fraus committeretur per alios, quibus Legatus, vel Episcopus ultra suum Vicarium Generalem, daret illam facultatem conferendi (si posset) quam per ipsummet Legatum, Episcopum, aut hujus Vicarium Generalem. Glossâ cit. c. Deliberatione. §. Prohibemus. verè. Cuiusque. de Offic. Legat. in 6.

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

1 Ratio continuationis Rubricarum. Rubrica præsentis Tituli continet Regulam ibidem.

2 Visum est duobus præcedentibus Titulis de Institutionibus, & Collationibus Ecclesiarum, atque Præbendarum vacantium: postulat nunc ordo continuationis Rubricarum etiam declarare, quidnam Ecclesiis vacantibus liceat, vel non liceat facere. Atque idcirco providè in bonum Ecclesiarum vacantium, quas veluti Pastoribus, & Defensoribus suis destitutas, facilius in bonis ac juribus suis detrimentum pati contingeret, in Rubrica præsentis Tituli statuitur regula negativè concepta: Ne Sede vacante aliquid innovetur. Et quia hæc regula perfectam orationem, sensumque completum continet, eidem inhærendum est, donec de fallentia consistat: nam quod Rubricæ perfectum sensum continentes utiliter allegantur, valeant argumentum à Rubro, notat Abbas in Rubricâ. h. t. ètque Reiffersuel Jus Can. Tom. III.

jam dictum supra in Proæmio Lib. 1. Decretal. §. 6. num. 96. & seqq.

§. I.

De Sede vacante, ejusque duratione, atque intellectu præsentis Rubricæ.

SUMMARIUM.

- 2 Nomine Sedis vacantis, quid intelligatur?
- 3 Rubrica præsentis Tituli, in quibus locum habeat?
- 4 Verbum, Vacare, pluribus modis in Jure accipitur.
- 5 Et quomodo accipiat in proposito? Et numerus præced.
- 6 Vacatio Sedis Episcopalis, quamdiu duret? Et num. seqq.
- 7 Ea durat usque ad præsentationem Litterarum Apostolicarum Capitulo factam. Et num. præced. ac seqq.
- Idem dicendum de Sedibus Abbatialibus promotorum in Curia. Ibid.
- 8 Sola expeditio Litterarum Apostolicarum non sufficit ad cessationem vacationis Sedis Episcopalis &c.
- 9 Hinc collatio Beneficij, communiter spectans ad Episcopum & Capitulum, potest antea fieri à solo Capitulo.
- 10 Respondetur ad contrariam Decisionem Rotæ, & sententiam Flamini Parisii.
- 11 Solvuntur alia instantia.
- 12 Vacatio ceterorum Beneficiorum, quæ non indigent provisione &c. in Curia, durat usque ad confirmationem novi Prælatis, seu Beneficiarii.
- 13 Regula præsentis Rubricæ, Ne Sede vacante aliquid innovetur, quomodo sit intelligenda? Et num. seqq.
- 14 Ecclesia fungitur jure Minoris: imò, si est vacans, jure Pupilli.
- 15 Tempus Sedis vacantis non est conveniens ad agendum, seu tractandum super statu Ecclesie.
- 16 Regula, Ne Sede vacante &c. procedit, ubi innovatio tendit in præjudicium Ecclesie: scilicet, ubi sit melior ejus conditio. Puta, si quid eidem dari promittatur. Ibid.

Quæritur I. Quid intelligatur nomine Sedis vacantis? Resp. I. Nomine Sedis vacantis intelligitur vacans vel maxime intelligitur Sedes Episcopalis; hoc est, Ecclesia Cathedralis, aut Metropolitana suo viduata Pastore; uti desumitur ex cap. 1. h. t. ibi: Attendentes igitur, quod Episcopalis Sede vacante non debeat aliquid innovari, cum non sit, qui Episcopale jus tueatur. Atque hoc ipsum ampliat ad Abbatias, & Præposituras, aliisque Dignitates, quæ per obitum Prælatorum suorum cententur viduata, juxta a. c. Ne pro defectu. 41. de Election. Hostiensis in Summa. h. t. nu. 3. Abbas c. His quæ. n. 2. de Majorit. & obed. Barbosa ad Rubricâ. h. t. n. 2. & alii.

Resp. II. Nihilominus Rubrica præsentis Tituli, & regula per ipsum tradita, non solum in Cathedralibus, sed etiam in minoribus Ecclesiis, atque Beneficiis vacantibus locum habet. Ita Glossâ cap. 1. verè. Ecclesia. de Reb. Eccle. non alien. in 6. pro hoc allegans, c. Cum vos. 4. de Offic. Ordinar. Jo. Andreas cap. 1. num. 3. h. t. Barbosa cit. nu. 2. Pirhing h. t. n. 1. & alii. Accedit ratio: quia non solum Ecclesiis Cathedralibus, sed etiam aliis Prælaturis, imò & Parochialibus Ecclesiis, cæterisque Beneficiis inferioribus periculosum foret; milleque præjudicium obno-